

S. Alph. (n. 589), scil. probabilius designari eos qui alienam petunt dioecesim ob principalem finem obtainuae absolutionis vitandique judicij proprii pastoris, non autem qui illuc tendunt ob aliquem honestum finem, puta ut confiteantur cum minori incommodo, aut citius confessionem expediant, vel confessarium incognitum aut prudentiorem inveniant, etc.

**349. VI.** Si Superior **injuste negaret facultatem** absolvendi a reservato, nequit subditus **absolvere**, nisi in iis adjunctis et cum iis condicionibus, de quibus supra (III) dictum est. Ratio est, **injusta denegatione non conferri potestatem.** (Ball. P. n. 688.)

Exceptio tamen est facienda pro confessario Regularium petente facultatem absolvendi a easu qui in Ordine suo reservatus sit. Nam si Superior facultatem hujusmodi **neget**, confessarius vero judicet eam debere concedi, puta quia denegatio in detrimentum spirituale poenitentis cessura sit, poterit is **confessarius illa vice absolvere.** Ita statuit Clemens VIII, ut testatur et **confirmat** Urbanus VIII. (Const. *Sanctissimus*, 21 Sept. 1624) Plures autem AA., ut refert et probare videtur Busemb. (ap. S. Alph. n. 586), probabile censem idem teneri posse, si is qui facultatem petit absolvendi a **reservato**, non est quidem designatus ut confessarius, sed tamen est **vir** pius, doctus et prudens. Verum id a mente Clementis VIII alienum censemus: quippe qui loquitur de **confessario**, quo nomine non **venit** sacerdos jurisdictione carens. Probabilius verba **illa vice** non sunt **ita** intellegenda ut tantum semel liceat, contradicente Superiore, a **reservato** absolvere, sed ita ut nequeat confessarius a **reservato** eumdem **vel** alium poenitentem rursus absolvere, nisi rursus petat veniam; quae **si** iterum irrationabiliter negetur, poterit iterum absolvere. (Ball. P. n. 692) Fas tamen erit Superiori denegare facultatem quando scandalum **vel** damnum commune timetur, nec removeri potest nisi poenitens, **per** se vel confessarium suum, aliquam cognitionem rei Superiori **praebeat.** Tunc enim ipsum jus naturae exigit ut hoc medium quod unicum **prostat** adhibeat, et qui adhibere nolle, tamquam indispositus, **absolutione** privandus esset. (Ball. P. n. 698)

**VII.** Qui **bona fide confitetur**, nesciens suum casum esse reservatum vel sacerdotem carere **potestate** circa illum, valide quidem absolvitur, cum onere tamen iterum **confitendi** illud peccatum habenti potestatem in reservata: nam, ob defectum jurisdictionis in reservatum peccatum, ab hoc absolveretur tantum indirecte. Supponitur aliud peccatum non reservatum **adjici**: secus enim, defectu jurisdictionis, nulla esset absolutio. (Bus. ap. S. Alph. n. 596)

**350. VIII.** Qui confitens habenti potestatem ordinariam vel delegatam in reservata, inculpabiliter **oblitus est** reservatum, potest illud postea confiteri apud inferiorem, et absolviri. Haec opinio communis in praxi tuta est, licet quidam contradictant vel restrictionem ponant, ut S. Alph. (n. 597): nam, in materia jurisdictionis, sufficit probabilitas. Ratio autem est: posse per absolucionem indirectam auferri reservationem, si id velit habens potestatem ordinariam vel delegatam absolvendi a reservatis; talen autem voluntatem in eo praesumendam esse, quia rationabiliter existimandum est confessarium velle poenitenti opem ferre quantum potest, juxta formulam: "In quantum possum et tu indiges." (Lugo, disp. 20. n. 91 seqq.)

Idem cum sententia communi tenendum, ubi confessio est invalida, sive inculpabiliter, sive etiam culpabiliter. Nam reservatio principaliter ordinatur ut peccata deferantur Superiori, utque ipse super ea ferat judicium, praebendo salutaria monita ac poenitentiam imponendo; unde, ex quo subditus suum peccatum subiectum judicio Superioris vel alius habentis facultatem, jam obtinetur finis reservationis. (S. Alph. n. 598) Excipe tamen si poenitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum, vel si in illa sacrilega confessione inculpabiliter obliviscatur confiteri peccatum reservatum. Irrationabiliter enim praesumeretur Superior velle in tali sacrilega confessione auferre reservationem peccati sibi non delati. Cfr. n. 414.

#### § 9. DE ABSOLUTIONE COMPLICIS IN PECCATO TURPI.

**351. I.** Quilibet confessarius **caret jurisdictione** ad absolvendam a peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso qualecumque personam complicem suam in hujusmodi culpa. Ita statuit Bened. XIV, Const. *Sacramentum Poenitentiae* (1 Jun. 1741): "Interdicimus et prohibemus ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis, nim. in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque in honesto contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate ac jurisdictione ad qualecumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit."

**352. II.** De hujus **prohibitionis extensione**, adverte:

1º Nomine **peccati turpis** hic venit omne et solum peccatum externum grave contra sextum praeceptum, etiamsi in sua specie consummatum non fuerit, ex. gr. tactus graviter turpis.

Igitur non comprehenditur hac lege peccatum quod, quatenus exterum est, ad mortale peccatum non pertingit, ex. gr. tactus leviter turpis quamvis simul adfuerit actus internus graviter malus. Idem dic de peccato quod, licet externe graviter castitati adversetur, a mortali reatu excusatur ob inadvertentiam, imperfectum consensum, etc. (Ball. P. n. 646)

*Turpiloquium aliqui AA.*, ut Amort (de Poenit. X. § 1. q. 6), Ball. P. (n. 647), excludere conati sunt, allegantes praesertim verba quibus ipse Bened. XIV (de Syn. I. 7. c. 14. n. 4) suam Constitutionem explicat, scil. agi de persona “cum qua (sacerdos) *impudicitiae scelus* admisit”, et similia, quae proprie ad actiones referantur. Verum hanc sententiam non censemus probabilem. Nam sensus legis desumendus est e Constitutionibus Pontificiis potius quam ex hoc privato opere Bened. XIV in quo etiam obscure *tantum* sententia ista innuitur. Jamvero turpiloquium graviter turpe proprie venit sub nomine *peccati turpis*, quod solum exprimitur in Const. cit. Bened. XIV et in Const. *Apostolicae Sedis* a Pio IX edita. (n. 590, X) Insuper S. Inqu. (28 Maii 1873) declaravit comprehendendi “omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa quae consistunt in meris colloquiis et aspectibus, qui complicitatem important.”, Saepe tamen licebit a turpiloquio absolvere, quia dubium erit num ex utraque parte graviter peccatum sit. (Lehmk. II. n. 935)

Communis sententia legem applicat peccato turpi quod commissum fuerit antequam confessarius sacerdos foret: quia lex non distinguit et manet ratio avertendi indecentem sacramenti poenitentiae administrationem, qualis foret absolutio in iis adjunctis data. Citant quidam resp. S. Poenit. 23 Jan. 1879 in eundem sensum. (Lehmk. II. n. 935) Contradicit tamen Ball. P. (n. 649): quia deficit penitus finis legis quae supponit hujusmodi confessionem existere occasionem ruinae spiritualis poenitentibus; neque absonum videtur, in casu, utique rarissimo, recurovere ad epikeiam.

2º Ut lex ista obtineat, requiritur *complicitas*, i. e. duorum in idem peccatum externum conspiratio, et quidem formalis et exterior. Hinc non comprehenditur casus quo actus externus complicitatis fuit tantum peccatum leve, ex. gr. manus apprehensio, licet interius uterque graviter pravo affectu peccaverit; neque casus quo complex exterius dissensum ostenderit, quamvis interius consenserit. (Ball. P. n. 646)

3º Certum est e tenore legis nihil referre utrum complex sit vir an femina: nam dicitur *quaecumque sit persona complex*.

4º Absolutio quae prohibetur et pro qua subtrahitur jurisdictio, ea est qua *peccatum complicitatis directe remittatur*. Nam dicitur in cit. Const. “sublata jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi

culpa absolvendam.” Igitur probabilius valeret absolutio et peccatum complicitatis indirecte remitteretur, si poenitens, ex inculpabi oblivione, hoc peccatum omittat vel bona fide peccatum istud cum aliis apud complicem confiteretur. Idem dicendum de confessione quam poenitens instituat apud sacerdotem complicem quando urget necessitas communicandi vel celebrandi, neque alias confessarius praesto est. (Ball. P. n. 648; Buccer. Theol. Mor. II. De Const. Sacr. Poenit. n. 42) Attamen in hoc casu necessitatis multum praestaret, praemisso actu contritionis, ad S. Communionem accedere ut confessio indecens et periculosa viteretur. Multi AA., ut S. Alph. (n. 555), censem absolutiorem datam a complice in his casibus esse irritam, etiam quoad reliqua peccata mortalia eo quod in Const. Bened. XIV dicitur: “Absolutio nulla atque irrita omnino sit.” Sed ex verbis immediate praecedentibus verisimiliter restringitur illa nullitas ad absolutiorem quatenus detur “ab hujusmodi culpa”. Igitur, ob probabilitatem prioris sententiae, licebit certe non imponere repetitionem reliquorum peccatorum quae bona fide apud complicem accusata fuissent.

5º Probabilis, quando peccatum complicitatis semel directe absolutum est, non prohibetur complex quominus iterum ab eodem absolvatur. Nam de hac reservatione idem videtur dicendum ac de reliquis: eam evanescere ex quo semel directe absolutum est peccatum. (D'Annib. III. n. 324. nota 37) Attamen vehementer deterrendi sunt, tum sacerdos ne jam, extra casum necessitatis, complicis confessionem audiat, tum poenitens ne ad eundem redeat, et praesertim ne idem peccatum apud complicem iterum accuset: quae res periculi et indecentiae plena foret.

**353. III. Excommunicatione specialiter R. P. reservata feriuntur:** “Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.” (cit. Const. *Apostolicae Sedis*) De qua poena adverte:

1º Ut illam incurrit confessarius requiritur ut *complicem agnoverit* et sciens volens absolverit, vel, juxta resp. S. Inqu. 13 Jan. 1892 (Act. S. S. t. 24. p. 625), ut illum absolverit cum ignorantia crassa et supina. Quod si complicem non agnoverit, certe non peccat absolvendo; immo plures (Ball. P. n. 650; Pennacchi, Comment. in Const. Ap. Sedis, t. I. p. 313 seqq.) non improbabiliter tenent absolutiorem tunc esse validam, quia nequit extendi ad confessarium qui complicem non agnoscat, id quod Bened. XIV et Pius IX statuerunt de eo qui eum sciens volens absolvat.

Poenam vero incurrit sacerdos qui absolveret complicem a quo hic et nunc non agnosceretur: ea enim agnitio nusquam requiritur ad

poenam incurrandam. Contrarium dicendum foret si nullatenus esset cognitus complici, ex. gr. quia noctu, habitu saeculari induitus, peccavit cum muliere quae nunc ad eum accedat. Nam non tenetur se prodere poenitenti et, si hunc non absolvat, periculum est ne, dum poenitens alteri confessario revelat negatam absolutionem, uterque in suspicionem veniat peccati a sacerdote commissi. (Ball. P. n. 650)

2º Satis constat non incurri hanc excommunicationem a sacerdote qui audiret confessionem, sed neque absolveret, neque absolvere fingeret: nam quo jure diceretur *absolvens*? Idem dicendum de eo, qui sacrilege absolveret complicem quem sciret mala fide tacere peccatum complicitatis: nam non absolveret a peccato pro quo jurisdictione privatus est. (Lehmk. II. n. 936) Incurreret tamen, si poenitentem directe vel indirecte induxisset ad peccatum complicitatis reticendum. Censetur autem *directe* inducere qui positive et explicite praemonet de eodem peccato reticendo; *indirecte*, qui conatur suadere poenitenti, sive quod actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave ut de ipso inquietari debeat; unde poenitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum et ab eo declarando revera abstinet. (S. Poenit. 19 Febr. 1896) Supponitur sane peccatum commissum ex ultraque parte esse materialiter et formaliter grave.

3º Plurimum inter AA. controversum est num poenae illi subjaceat qui *tingat se absolvere* complicem, puta aliquam orationem recitando, vel proferendo verba sacramentalia absque intentione absolvendi.

Plerique AA. recentiores negabant, tum quia in Const. *Apostolicae Sedis* dicitur *absolventes*, quod proprie veram tantum absolutionem designat, tum ob auctoritatem S. Alphonsi. Is enim (n. 556) testatur se super hoc dubio consuluisse S. Poenitentiarium, quae (9 Jul. 1751) ei responderit: "Non vitari excommunicationem a praedicto confessario per fictionem absolutionis." Nihilominus declarat se postea ab hac sententia recessisse, quia in Const. Bened. XIV *Inter praeteritos* visus est sibi clare reperisse contraria: siquidem Pontifex loquitur de confessario qui "confessionem excipit poenitentis eumque absolvit."

Hodie vero sententiam affirmantem omnino tenendam ducimus, ob repetitas S. Poenit. et S. Inqu. decisiones. Sic. S. Inqu. propositum fuit sequens dubium: "Omnes Const. Ap. *Sedis* commentatores docent illum confessarium excommunicationi non subjici qui complicem in peccato turpi absolvere fingit, sed reipsa non absolvit. Contrarium tamen declaravit S. Poenit. 1 Mart. 1878. An potest Orator permittere ut in suo Seminario doceatur praefata commentatorum sententia, responsioni S. Poenit. contraria?" Responsum est: "Negative, facto verbo cum Sanctissimo." Quam resolutionem probavit Leo PP. XIII, 10 Dec. 1883. Atque in decreto supra cit. 19 Febr. 1896 in eodem gradu ponuntur

*absolventes vel fingentes absolvere*. Accedit gravissima ratio: interpretatione benigniore penitus enervari poenam excommunicationis a R. P. tam severe intentatam: quippe quam improbi sacerdotes facilline evadere possent, complice per fictam absolutionem decepto aequo ac si vere absolvissent. In hac sententia affirmante recentissimi AA. concordes sunt, etiam ii qui antea utramque ut probabilem habuerunt. Vides Bucer. Theol. Mor. l. c. n. 50; Pennacchi, op. cit. t. II. p. 606, etc.

**354. IV. In articulo mortis**, cui prorsus assimilandum est mortis periculum prudenter existimat, semper valet absolutio a sacerdote complice impartita. Ut enim declaravit Bened. XIV (Const. *Apostolici munieris*, 8 Febr. 1745): "Non intendimus pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti quantumvis indigno necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat."

Attamen, ut sacerdos complexe licite absolvat et excommunicationem vitet, requiritur ut nullus "alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem." (Pii IX, Const. cit.) Periculum talis scandali et infamiae vix deerit, si nullus alius sacerdos adsit nisi suspensus vel excommunicatus; immo etiam raro deerit ubi nullus adstat approbatus. Facile vero evanescet periculum ubi plures confessarii ad manum sunt. Neque poenam effugiet sacerdos qui "quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit atque ita... absolutionem largiri, nulla, ut praemittitur, necessaria causa cogente, praesumpserit." (Bened. XIV, Const. cit.) Multi tamen AA. (ut Gury, II. n. 586) opinantur licite excipi posse in articulo mortis confessionem complicis, cuius salus periclitetur, quia apud alium confessarium confiteri nollet vel sacrilege confessura videtur.

In locis Missionum, in quibus nullus sacerdos praeter unum complicem reperiatur, probabile est eumdem non vetari quominus complicem absolvat: siquidem in Const. Bened. XIV supponitur alios confessarios in ipso loco non deesse, vel saltem facile adiri posse. (Ball. P. n. 655; Lehmk. II. n. 937, etc.) Attamen haec absolutio quoad peccatum complicitatis indirecta tantum foret, excepto casu utique rarissimo, quo nulla spes sit alium sacerdotem in hunc locum venturum esse.

**V. Facultas absolvendi** ab excommunicatione, de qua modo dictum est, hodie excipitur etiam in amplissimis facultatibus absolvendi a censuris, etiam specialiter Rom. Pont. reservatis. (S. Inqu. 27 Jun. 1866; Coll. P. F. n. 947) Nemo igitur ab ea absolvere potest, etiam

episcopus, nisi speciale facultatem obtinuerit, quae tantum ad breve tempus et sub clausulis valde severis concedi solet. Si cui obvius sit casus hujusmodi in quo omnes reservationis condicione certo verificantur, is ad episcopum vel S. Poenitentiarium recurrat ejusque mandata exequatur.

## CAPUT II.

## DE OBLIGATIONIBUS MINISTRI POENITENTIAE.

## § 1. DE SCIENTIA CONFESSARIO NECESSARIA.

**355. I.** Ut licite, extra casum necessitatis, confessiones audiantur, requiritur in confessario ea scientia qua munere suo rite fungi possit. Nam qui sine hac scientia tantum munus suscipit, exponit se periculo graviter errandi; ac proinde graviter peccat tum ipse, tum is qui talem sine necessitate constituit, aut, cum possit corriger, tolerat. (Bus. ap. S. Alph. n. 627) Neque per se sufficeret approbatio, si quis sibi conscientiaset se vel numquam habuisse vel oblivione, morbo, etc. amisisse scientiam requisitam. Nihilominus tum presbyter saecularis judicio episcopi sui, tum Regularis judicio praelati sui tuto acquiescere possunt, si episcopus vel praelatus, qui bene hunc subditum novit, jubet eum tranquillo animo excipiendis confessionibus vacare. (Ball. P. n. 875)

Excipitur *casus necessitatis*: nam, cum defectus scientiae in confessario minime obstet valori confessionis, succurrendum est proximo ea ratione qua fieri potest. Necessitas autem adest non tantum in articulo mortis, sed quotiens poenitentes aliter diu deberent carere confessione, ut evenit in captivis. (S. Alph. n. 628) Hinc excusari possunt praelati qui minus idoneos confessarios exponunt, ubi satis aptos habere nequeunt, puta in locis exiguis et remotis quorum curam nullus homo doctus velit suscipere (Lugo, disp. 21. n. 74), in dioecesis quae cleri penuria laborant, in Missionibus ubi adhibenda est opera presbyterorum indigenarum minus peritorum, etc.

**356. II.** Regulariter requiritur et sufficit scientia qua confessarius possit solvere casus communiter occurrentes in loco in quo confessiones audit, de casibus vero difficilioribus sciat saltem dubitare ut libros vel peritiores consulat. (Lugo, l. c. n. 70; S. Alph. n. 607) Hinc patet

majorem scientiam requiri ad audiendas confessiones in magna civitate quam in humili pago, similiter ad audiendos fideles quoslibet quam alumnos unius collegii, etc. Minime vero requiritur ut sacerdos de omnibus quae audit, judicet utrum sint peccata necne. Nam saepe id etiam doctissimis impervium est, tum ob controversias DD., tum praecepsit quia tam aegre discernitur utrum poenitens plenum an semiplenum vel nullum consensum dederit. Nec quidquam prohibet quominus poenitens doctus confessarium juvet: quare minor scientia ad confessionem doctioris audiendam sufficit. (Lugo, l. c.)

Si quando occurrit casus difficilior quem confessarius statim solvere nesciat, ex. gr. de restitutione facienda, poterit tamen absolvere poenitentem, dummodo is promiserit se consilium petiturum esse a doctiore, vel redditum esse ad eumdem confessarium, postquam iste libros vel peritiores consuluerit. (Lugo, l. c. n. 71)

Ex his patet quam necessarium sit studium Theologiae Moralis iis omnibus, qui ad tam altum munus aspirant. Cfr. S. Alph. n. 628. Hodie autem, ob examina ubique a neo-confessariis requisita, jam minus periculum est, ne quis confessiones absque sufficienti scientia audire aggrediatur, quam ne, labentibus annis, eamdem amittat. Nam, ut loquitur S. Alph. (H. A. tr. 16. n. 100): "Ex tot rebus tam diversis et inter se disparibus, quae ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accident, temporis progressu e mente decidunt; qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare." Ut scientia acquisita conservetur, immo et augeatur, S. C. C. omnibus episcopis inculcat ut sapient per annum a clero celebrentur conventus ad solvendos casus conscientiae. (Aichner, Comp. J. Eccl. § 134) Quae consuetudo ut etiam in Missionibus, quantum pro locorum opportunitate fieri potest, servetur, omnibus episcopis et vicariis apostolicis horum locorum commendat S. C. de P. F. (Coll. P. F. n. 108 seqq.) Insuper praecepsit neo-confessariis utilissimum erit ut, quotienscumque confessionem paulo difficulter audiverint, postea sedulo dispiciant utrum recte egerint an forte erraverint, vel quid addere debuissent interrogando, consulendo, etc. Quotiens vero dubia quaedam obrepunt, libros vel peritiores consulant.

**III.** Ut sacerdos rite absolvat, debet, *quantum moraliter potest*, omnia peccata gravia poenitentis intellegere: secus frustra poenitens ea recensere juberetur. Hinc, quamvis tunc poenitens in bona fide versans valide absolvatur, peccat confessarius qui absolvit eum, cuius peccata per neglegentiam non satis intellexit: quia fert sententiam *incognita causa*. (Bus. ap. S. Alph. n. 626)